



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**In Genesin Enarratio**

**Chyträus, David**

**Vitebergæ**

**VD16 C 2625**

III. De officio boni Principis, & forma optima gubernationis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36126**

## III. Locus.

## DE OFFICIO BONI

*Principis, & forma optimæ  
gubernationis.*

Et præcipua boni Principis officia, & optimæ gubernationis formam proponit hoc in loco hislo-  
ria Ioseph, qui circumiens omnes Regiones Ægypti  
uerani de Deo doctrinam, & optimas artes spargit  
& in Ecclesijs ac Scholis propagari curat, & tue-  
tur disciplinam & pacem, ac uictum & omnia ad  
uite sustentationem necessaria Ægyptijs procurat.  
Ideoq; hæc honorificentissima appellatio ei tribuitur  
a Pharaone, quod sit pater Regionis, & ut in  
nostra uerione habetur, Saluator Mundi, seu ut  
Christus Luc. 22. loquitur, εὐσῆθης. Hinc definitio  
sumatur.

Bonus Princeps est minister Dei,  
ordinatione diuina constitutus, ut sit  
nutritius Ecclesie & Scholarum, & sit  
custos disciplinæ ac pacis, & puniat con-  
tumaces poenit corporalibus.

Suntq; hæc tria præcipua boni Prin-  
cipis officia.

L.Coll.

I. Constitutio Ecclesiarum & Scholarum, in quibus uera Dei noticia & iuuocatio, & aliæ artes uitæ necessariæ custodiantur, ut de Ioseph dicitur. Psalm. 104. Deus misit ante eos uirum, in seruum uenundatus est Ioseph, Misit Rex & soluit eum, constituit eum Dominum domus sue, ut erudiret Principes eius doctrina sua, & Senes eius prudentiam doceret. Non igitur dubium est Ioseph diuinitus in hoc summum fastigium sapientiae, potentiae, & autoritatis euectum, sparsisse in Aegypto non solum sanctorum patrum doctrinam, & Ecclesie propriam de Deo, de lapsu primorum parentum, de uenturo Semine, Sed etiam ueram philosophiam de natura rerum & motibus coelestibus, quæ quidem tunc planata à Ioseph, Anno mundi 2230. semper deinceps in Aegypto usq; ad Ptolemaeum annos 1870. Et postea uerè usq; ad nostra tempora mansit.

II. Conseruatio disciplinæ externe, seu honestæ morum gubernationis per leges & poenas legitimas, ut Aristoteles inquit, ἀρχωρέσι φυλαξ νομος.

III. Conseruatio pacis & depulsio latrociniorum, seditionum, quibus turbatur tranquillitas publica. Hæc tria officia cum fideliter obeunt Principes, & diuinitus iuvantur, optima est gubernatio, quam eruditissime descripsit Paulus 1. ad Timoth. 2. inquiens, Orate pro Magistratibus, ut pacatam & tranquili-

i 4

tranquillam uitam agamus in omni pietate & honestate. Et Rom. 13. Et Esa. 49. Reges erunt nutriti tui.

Prodest autem ad omnia hec munera rectius obeunda ipsos Principes uisitare seu inspicere Ecclesias & politias, esse ἐπισκόπους sicut Ioseph ipse uisitat & circumuit omnes Regiones Aegypti.

## V.

*D E B O N I S  
Corporalibus.*

In loco de CREATIONE testimonia collecta sunt, que confirmant Deum etiam corporalium bonorum procurationem habere. His adiungatur & huius Capitis historia, & cause Sex cogitentur, propter quas proposuit Deus etiam presentium bonorum promissiones, & uult ea a se peti & expectari. Quas supra cap. 26. indicauimus.

## TEXTVS.

Byssina stola) stola apud ueteres quamlibet uestimenta tegentem corpus significabat, à σέλλω, id est, apto, orno. Postea ad honestae Matrone uestimentum translatum est, ut Caligula Liuiam solebat Vllysem Stolatum nominare.

Byssus, tenuissimi lini genus, cuius scrupula quadernis denarijs olim permutata sunt. Teste Plinio libro